



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus  
Perperam Dictus**

**Wavre, Philippus van**

**Antverpiae, 1709**

Sect. III. Sensus obvius non est ille medius [et]c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39351**

## S E C T I O III.

Obvius. prima propositionis sensus non est ille medius in damnata 5. Propositionum in Varios sensus distinctione velut Jansenianus positus, scilicet: Aliqua Dei præcepta aliquibus justis volentibus & conantibus invalidè & imperfectè secundum præsentem quas habent vires, parvas scilicet, & infirmas seu auxilio efficaci ad plenè volendum & operandum necessariò destitutis, impossibilia sunt proximè & completè, seu ab iis adimplèri proximè non possunt. Deest quoque illis gratia efficax quâ præcepta illis proximè possibilia fiant, seu deest illis speciale auxilium sine quo justificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in acceptâ justitiâ, id est, observatione mandatorum Dei perseverare non potest.

Primo id probatur ex diversitate verborum propositionis Jansenianæ & hujus exponentis. Jansenius enim absolue dicit *impossibilia*; hæc autem cum clausulâ, & quidem alienante, *proximè & completè*: quæ supponit remotam non deesse potestatem, quæ sufficit ad veram Præceptorum possibilitatem, modò sit ita remota, ut proximam & completam valeat per præsentem gratiam advocare.

Secundò aliud est deesse gratiam quâ præcepta fiant, seu proximè possibilia fiant; & aliud quâ simpliciter possibilia fiant. Jansenius non



modò primum adstruit, sed etiam secundum, quia non solum benè agendi, sed etiam, ut oportet, orandi potestatem Justis illis abjudicat.

Tertiò nihil singulare diceret Jansenius, quod Molinistæ non admitterent, si tantum proximam & completam benè agendi potestatem justis conantibus aliquandò deesse doceret: Nam & illi, & quotquot cum Alphonso Moinio gratiam orandi ab agendi gratia hoc limite distinguunt, quod hæc efficax sit, ista plerumque non nisi sufficiens: facillè concedent aliqua Dei præcepta esse proximè & completè impossibilia, & deesse gratiam quâ possibilia fiant; idest, non possunt ab illis proximè impleri potestate cum actu conjunctâ, nullum aliud auxilium requirente ut in actum prorumpat. Ut quid ergò Janseniana Doctrina Vaticanum fulmen inde conscivisset? Dicere autem Augustinum Cornelii Jansenii sub Augustini Hisponensis lauro intactum mansisse sine atroci Apostolicæ Sedis contumelia quis ausit asserere?

Quartò Jansenius potentiam veram ab actu distinctam ad benè agendum orandumve semper repudiat; imò sine eversione fundamentum Augustinianæ Doctrinæ in statu naturæ lapsæ admitti non posse asseverat: & eam gratiam quæ dat posse & non operari, monstrum appellat ad Pelagianorum fines amandandum. Nam Christi gratiæ proprium & essentielle definit *dare velle quod potest*, & semipelagianos in hoc errasse, quod talem gratiam admitterent quæ tantum posse, & non operari impertiret voluntati, & alia, de quibus suo loco. Justi autem imperfectè volentes & conantes non operantur quod volunt; igitur ex mente Jansenii deest illis gratia non modò illa quæ effectum inferat; sed & illa quæ potestatem tribuat, adeòque tanta est impotentia,

tia,



DE PROPOSITIONE I. 229

ria, seu potentiae absentia, ut impossibilia impræsentiarum censeantur mandata Dei capiendo impossibile pro impotentia omnimodam necessitatem inferente & contradictionis libertatem evertente.

Objicit Author Confutatae Epistolæ Leodien- *Defensio*  
 sis hunc sensum esse propositionis: *Præcepta epist. Leod.*  
*quædam hominibus justis volentibus & conantibus refut. fol. 74.*  
 secundum præsentem quas habent vires, sed quibus  
 adhuc deest gratia necessaria ad ea actu complen-  
 dum, sunt non quidem simpliciter impossibilia, sed  
 impossibilia hoc sensu quod nondum habeant posse  
 plenum & perfectum quo actu illa impleant, deest  
 quoque illis gratia, quæ possibilia fiunt, eâ possibi-  
 litate quæ complectitur omnia ad ea actu imple-  
 dum necessaria. Falsi convictus ipse sim, inquit,  
 si alium ex contextu Jansenii sensum eruere possit  
 Defensor. Sed solutio fuit liquidò ex præmissis.  
 Præter bis idem, dicit illa expositio & æquipollet  
 huic: Justi conantes & volentes aliquando non  
 habent posse plenum & perfectum ideòque præ-  
 cepta sunt impossibilia proximè seu carent posse,  
 quo actu impleant, & deest gratia dans plenum  
 & perfectum posse, quò actu præcepta adim-  
 pleant. Instat: *Jansenius ipsâ voce impotentia, quâ* *Fol. 72.*  
*utitur satis indicat, se de propriè ac simpliciter di-*  
*cta impossibilitate non loqui, sed de quadam impo-*  
*tentia, quæ ex eo nascitur, quando adhuc desunt*  
*vires ad præcepta actu implenda.*

Respondeo: etsi non admittat impossibilitatem  
 Manichæam, aut Calvinianam seu Lutheranam,  
 admittit equidem justificato homini impotentiam  
 inferri, ut moraliter sit impossibile præcepta  
 servare. Et quemadmodum in sententia Calvi-  
 nistarum impossibile est in hoc statu per gratiam  
 maximam præcepta servari, ita in sententia Jan-  
 senii impossibile est per gratiam præsentem par-  
 vam,



## 230 LIBER SECUNDUS

yam, per quam non potest majores vires à Deo  
 impetrare. Et sicut Hæterodoxi illi auferunt  
 potestatem justo sub magna gratia constituto  
 omnia mandata Dei adimplendi, irà Jansenius  
 omnem adimit potestatem homini conanti & vo-  
 lenti sub parva gratiâ ad aliquorum præcepto-  
 rum observationem pertingendi; cum posse a-  
 gere & posse orare in non orante, & non ope-  
 rante reperiri posse inficietur: semi-pelagianam  
 enim vocat gratiam & Medicinalis gratiæ titu-  
 lo indignam quæ dat posse ab actu disjunctum.  
 Ac proinde omnem gratiæ medicinalis potesta-  
 tem à justis illis submovendo, impossibilitatem,  
 etsi non Lutheranæ aut Calvinianæ similem,  
 saltem admodum æmulam inducit. Nam & hi  
 quoque facilè regerent, per Dei potentiam  
 omnia mandata servari posse ab homine justifi-  
 cato, sed modò eam non suffragari homini in  
 hac infirmitate constituto, neque impartiri tan-  
 tas vires quibus omne peccatum ab actibus suis  
 excludat: adjicientque per impossibilitatem præ-  
 ceptorum non nisi impotentiam sese intelligere,  
 quam nulla præsentis vitæ auxilia gratiæ aufe-  
 rant. Ceterum omnia Deo possibile fore con-  
 sensuri sunt.



SEC-